

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

MA Level Medieval Latin Examination

3 September 1997

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. Concerning Betrothals (Raymond of Penafort)

Quoniam matrimonium sponsalia praecedere consueverunt, ideo primo loco de sponsalibus est agendum. Videndum ergo quid sint sponsalia, unde dicantur, qualiter contrahantur, qua aetate contrahi possunt, quis sit effectus sponsalium, utrum sponsalia possint dissolui. Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio. Dicuntur sponsalia a spondendo, id est promittendo. Contrahuntur sponsalia quatuor modis: aliquando nuda promissione, aliquando datis arris sponsalitiis, aliquando interveniente anuli subarratione, aliquando interveniente iuramento. Nuda promissione, cum dicit vir: accipiam te in meam uxorem, et illa respondet: accipiam te in meum maritum, vel alia verba aequipollentia, et ista sunt vera sponsalia, quando sic per verba de futuro contrahuntur. Si vero per verba praesentis temporis contrahantur, quia dicit vir: accipio te in meam uxorem, et illa respondet: accipio te in meum maritum, vel consimilia verba dicant, quae mutuuum consensum utriusque de praesenti significant, ista et talia dicuntur sponsalia de praesenti, sed improprie, quia vere est matrimonium.

2. Sleeping arrangements for guests at the monastery (Salimbene de Adam)

In hoc autem loco fratrum Minorum istius castri cum dixissemus completorium cum generali quodam sero, et lecti essent assignati hospitibus ad dormiendum in eadem domo cum generali, exivit generalis ad claustum, ut oraret. Fratres vero forenses timebant intrare lectos, nisi generalis prius ad suum lectum veniret. Videns ego desolationem eorum, quia musitabant, eo quod dormire vellent et non possent --nam lumen ubi lecti erant resplendebat ex cereo--, accessi ad generalem, quia familiaris erat michi et intimus valde, utpote quia de terra mea erat et propinquus propinquorum; quem inveni in claustro orantem, et dixi ei: 'Pater, forenses gravati ex itinere et labore dormire vellent, sed timent propter vos intrare lectos, nisi prius veniatis ad vestrum.' Tunc dixit michi: 'Vade et dicas eis ex parte mea quod dormiant cum benedictione Dei.' Et factum fuit ita. Visum autem fuit michi expectare generalem, ut ostenderem ei lectum suum.

3. In praise of the city of Florence (Leonardo Bruni)

Itaque ii qui aliquod tempus abfuere, cum Florentiam reveniunt, soli ferme intelligunt quantum hec florentissima urbs ceteris omnibus longissime prestet. Nulla est enim in toto orbe terrarum cui non aliquid maximarum rerum ad pulcritudinem desit. Hec populo caret, illa edificiorum ornatu, alia vero harum quidem rerum minime inopiam patitur, verum sita haud salubri celo. Non nulla autem ita immunda est ut, quicquid sordis noctu factum est, id mane ponat ante oculos hominum et pedibus per vias calcandum subiciat, quo nichil fedius excogitari potest. Iam enim etsi mille ibi sint regie, si inexhauste divitie, si infinita populi multitudo, contemnam tamen fetidissimam urbem nec multi unquam existimabo.

Quemadmodum enim in deformi corpore, etsi cetera omnia preclara habeat, felicitas tamen esse non potest, ita in urbibus, si immunde sint, etsi cetera omnia assint, pulcritudo esse nullo modo potest. Cui autem urbi pulcritudo deest ei summum maximumque ornamentum deesse quis non videt?

4. Faith in God (Thomas Aquinas)

Quarto potest etiam responderi, quia Deus probat quod ea, quae docet fides, sunt vera. Si enim rex mitteret litteras cum sigillo suo sigillatas, nullus auderet dicere, quod illae litterae non processissent de regis voluntate. Constat autem quod omnia quae sancti crediderunt, et tradiderunt nobis de fide Christi, signata sunt sigillo Dei: quod sigillum ostenderunt illa opera, quae nulla pura creatura facere potest: et haec sunt miracula, quibus Christus confirmavit dicata apostolorum et sanctorum. Si dicas quod miraculum nullus vidit fieri, respondeo ad hoc; "Constat quod totus mundus colebat idola, et fidem Christi persequatur, sicut paganorum etiam historiae tradunt. Sed modo omnes conversi sunt ad Christum, et sapientes, et nobiles, et divites, et potentes, et magni ad praedicationem simplicium, et pauperum, et paucorum praedicantium Christum. Aut ergo hoc est miraculose factum, aut non."

Possumus autem sumere ex his aliqua ad eruditionem. Primo enim confirmatur fides nostra.